

APPENDIX

**De vitiis grammaticalibus**

**157.** Quae sequuntur vitia, omnino vitanda, proprietati et perspicuitati sermonis multum officiunt, et caepissime grammaticalia etiam veluti evertunt praecepta.

**158.** *Barbarismus* est transgressio quaedam contra analogiae, prosodiae vel orthographiae praescripta, quum videlicet aut vox phrasisve non latinae adhibentur aut flexione, scripto, significatione vel pronunciatione perperam usurpantur.

**159.** Dictio igitur vitiosa fit istis modis:

I. Per genera, ut *gladia* pro *gladii*.

II. Per numeros, ut *scopa* pro *scopae*, *tritica* pro *triticum*.

III. Per declinationem, ut *vasibus* pro *vasis*.

IV. Per coniugationem, ut *instavi* pro *institi*, *summabo* pro *consummam*, *venerari* pro *veneratus sum*, *legebo* pro *legam*.

V. Divisione, cum in oratione soluta dividimus coniuncta, ut *siluae* trium, *dissoluo* quator syllabarum, pro *silvae* duarum, *dissolvo* trium.

VI. Complexione, cum in soluta oratione divisa coniugamus, ut *Phaeton* pro *Phaëton*.

VII. Adiectione litterae, ut *follium* pro *folium*, *patrium* pro *patrum*, *praecor* pro *precor*; aspiratio-  
nis, ut *honus* pro *onus*; temporis, cum syllabae brevi,  
quae unum tempus habet, additur alterum, quo fiat longa, ut *circumdabo* penultima producta, pro *cumdabo* penultima correpta.

VIII. Detractione litterae vel syllabae, ut *santus* pro *sanc tus*, *preest* pro *praeest*, *tempta* pro *contempta*; aspirationis, ut *odie* pro *hodie*; temporis, cum syllabae longae, quae duo habet tempora, unum detrahitur, ut fiat brevis, ut *fecundata* penultima correpta, pro *fecundata* penultima producta.

**IX.** Immutatione, cum littera una aut syllaba pro alia ponitur, ut *set* pro *sed*, *munnus* pro *mundus*.

**X.** Transmutatione, cum littera aut syllaba e suo loco in alienum transfertur: ut *interpetror* pro *interpretor*, *trhao* vel *traho*.

**160.** *Soloecismus* est contra syntaxeos praecepta error aliquis, et fit quator modis:

I. Adiectione, cum aliquid orationi adiicitur, ut: *scribo cum calamo*, *ludo cum pila*.

II. Detractione, cum aliquid eodem modo detrahitur, ut: *eo forum*, pro *in forum*; *redeo agro*, pro *ex agro*; *ne hoc fecit*, pro *ne hoc quidem fecit*.

III. Transmutatione, cum partium orationisordo sine venustate aliqua turbatur, ut: *quoque ego*, enim *hoc voluit*, autem *non habuit*, *ne quidem hoc*, pro *ego quoque*, *hoc enim voluit*, *non autem habuit*, *ne hoc quidem*.

IV. Immutatione, cum pars una orationis pro alia inconsulto ponitur, ut: *stulti gravi ferunt res adversas*: *grave* pro *graviter*, nomen pro adverbio.

**161.** Fiunt soloecismi etiam per caeteras orationis partes. Item per ea, quae cognata sunt, id est, eiusdem generis ac partis, ut: *quid huc agis?* pro *hic*; *quando hic venisti?* pro *huc*; *eo apud forum*, pro *in*; *scripsitne Cicero hanc orationem aut Hortensius?* pro *an*. Non feceris cuiquam iniuriam, pro *ne*.

**162.** Denique fiunt et per ea quae partibus orationis accidunt:

I. Per genera, ut: *sapientes laeto fronte res adversas ferunt*, pro *laeta fronte*.

II. Per casus, ut *quo is? Romae*, pro *Romam*; *venio Brundusii*, pro *Brundussio*.

III. Per numeros, ut si unum ad te vocans dicas: *venite*.

IV. Per personas, ut si quempiam honoris causa ita alloquaris: *sedeat*, *accedeat*, pro *sede*, *accede*.

V. Per modos, ut *peto a te*, *ut mihi opem fers*, pro *feras*.

VI. Per tempora, ut *vincis*, pro *vinces*.